Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1613
Quelle:
Copyright:

mo amicus a. 417. eo fine absolvit, ut Gentiles confutaret turbarum et calamitatum publicarum caussas in religionem christianam conjicientes. Initium Prologi: *Preceptis tuis pijs parui beatissime pater Augustine* &c. Prologus hic procurrit usque ad verba: *similes miserias pertulisse*; ita, ut Opus ipsum inchoet: *Dicturus igitur ab orbe condito* &c. Alii Codices et Impressi aliter dividunt, ut videre est in Edit. *Sigeb. Havercampi Lugd. Bat.* 1738. 4. quacum contuli Exemplar nostrum, integrumque reperi et emendatae lectionis, si paucula quaedam excipias; ut in Prologo *praeceptis tuis pii* pro *praeceptis tuis*, item *hoc quod praeceperas* pro *praeciperes*, et *libris — historiarum atque annalium fastis* pro *historiarum atque annalium fastis* &c. quae *Havercampus* non notavit. Praeterea, quae Geographica praemisit *Orosius*, Codex noster tanquam Προλεγομενα respicit, et quamvis inscribantur: *Incipit liber Pauli Orosij*, tamen, ubi ad Historica devenitur, nova Rubrica ait: *Incipit textus hystoriarum Pauli Orosij presbiteri ad Augustinum Episcopum contra accusationes temporum christianorum.* Ad calcem L. I. adscriptus est idem Computus, quem p. 84. in *nota* adtulit *Havercampus*, sed pro 4487. noster scripsit 4497. pro 5099. etiam 5199. Capita Librorum minio quidem distincta sunt, non tamen numerata. De antiquis *Orosii* Impressionibus egit Editor *cit.* in *Praef.* ubi primatum *Augustanae* per *Joh. Schüssler* 1471. f. dubium reddere non debuisset.

III. *fol.* 187. et deinceps *Stephani* Carthusiae *Dolamensis*, dein *Olomucium* translatae Prioris *Medulla Tritici* sive *Antiwikleff*, quod Opus primum in Continente contra *Wiclefi* errores scriptum e Codice dictae Carthusiae erutum vulgavit *Bern. Pezius Thes. Anecdot.* T. IV. P. 2. *col.* 149. ad cujus *Dissertationem Isagog.* p. 11. etiam de Autore remitto. Memorat ibi *Pezius* plura, quae ad *Wiclefi* caussam in eodem Codice extabant. Extant etiam in Nostro praesente, et quidem praevie ad *Antiwiclefum*, unde illa referre mearum quoque partium est. Igitur 1) habetur Instrumentum Notarii autoritate munitum, quo XLV. *Joh. Wiclefi* Articuli ex ejus Libris extracti, atque a Capitulo Ecclesiae *Pragens.* per *Joh. Kbell* Officialem et *Wenceslaum* Canonicum et Archidiac. *Bechin.* Corpori Academico praesentati ab eodem condemnantur. Init: *In nomine domini. Amen. Anno natiuitatis eiusdem millesimo Quadringentesimo Indictione XI. die lune XXVIII. mensis maij hora vesperorum vel quasi, alias XVII. diei pontificatus Sanctissimi in christo patris et domini domini nostri Bonifacii diuina prouidentia pape noni Anno XIV. in maiori ciuitate pragen. In stuba facultatis collegij karoli in mei notarii presentis infra scripti testiumque presentia subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum*